Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26334
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uete inquit psalmista. et reddite domino deo uestro omnes qui in circuitu eius affertis munera. Que munera? Afferte domino filii dei. afferte domino filios arietum. Forte ista sunt munera que uouere nos iubet et reddere psalmista. arietes et filii arietum cum dicit. Vouete et reddite domino deo uestro omnes qui in circuitu eius affertis munera. Que munera? Audi quod sequitur. Terribili et ei qui aufert spiritum principum terribili apud reges terre. Quid hoc premisit ut postquam dixerat. reddite domino deo uestro munera statim subiungit. Terribili et ei qui aufert spiritum principum. Nisi quia ipsa munera ipsum spiritum significare uoluit. Si spiritum principum aufert. auferre non potest spiritum tuum. Redde ergo uoluntarius. ne amittas inuitus. Vouete et reddite domino deo uestro omnes qui in circuitu eius affertis munera. terribili et ei qui aufert spiritum principum terribili apud reges terre. Vide ergo fratres quid est quod uouere et reddere nos oportet domino deo nostro. quod si uouere uel post uotum reddere noluimus. tamen retinere non ualemus. Si reddimus accipiet. si non reddimus tollet. Si reddimus pro dato remunerabit. si non reddimus pro non dato condempnabit. Si enim reddimus quod nostrum est datum et reputatur ad iusticiam. si autem non reddimus quod alienum est retinemus. et imputatur ad culpam. Qui amat inquit animam suam perdet eam. et qui perdiderit animam suam propter me in uitam eternam seruat eam. Seruat eam qui eam tribuit. et sibi qui retinet amittit. Vouete ergo et reddite. Si uoues animam tuam. redde animam tuam. et non aliud. Hoc enim esset plus uouere. et minus reddere. et non esset equa recompensatio. Si tua das deo. et te ipsum diabolo. non est equa particio. Nonne si recte offeras et non recte diuidas peccasti. Plus ualet anima. et minus pecunia. Nonne anima plus est quam esca. et corpus plus quam uestimentum. Si plus anima est quam esca. plus utique est quam pecunia. quia et esca plus est quam pecunia. propter escam enim datur pecunia. et si esca non esset pecunia quid esset. Nam quod plus confert. id pre ipso plus necesse est. Si uoues animam noli pro anima dare pecuniam quia si hoc facis fraudem facis. plus uouens et minus reddens. Si tuam animam tuam potes dare pecuniam tuam pro anima non potes. Nisi forte pro anima tua ita pecuniam tuam dare uolueris ut anima tua data acceptabilior fiat per illa cum illa amatur. per illa sine illa non accipitur. Noli ergo putare quod pro anima tua id est per commutationem anime tue pecuniam tuam dare possis. quia et ipse pecuniam tuam sic datam non acciperet. et tu animam tuam seruare non posses sic retentam. Itaque et pecuniam amitteres. et animam non seruares. hoc ergo unum est quod recompensationem non accipit.

Que uota commutatione patiantur.

Cetera omnia pro loco et tempore et causa commutationem admittunt. Vouisti aurum argentum reddere potes quod quia precio minus est in pondere maius esse potest. Vouisti peregrinationem tuam domino. commutationem tuam admittet si forte expediat magis quod contingere potest. ut permaneas in patria tua et in domo tua. Nam si illic persoluere potes aliud tantum ualens. siue ad laborem operis siue ad deuotionem uirtutis siue ad utilitatem amministra

Noli putare quod reddere possis pro anima tua pecuniam tuam.